

Q. D. B. V.

79

DE

POLONORUM  
MAJORIBUS,

DISSERTATIONEM

PRÆSIDE

GODOFR. LENGNICH, D.

ELOQV. ET POËS. P. P.

IN AUDITORIO MAXIMO

D. XXV. SEPTEMBR. MDCCXXXII.

TUEBITUR

MICHAEL Safft, Goldinga-Curonus.

STIPENDII VOEGEDINGIANI ALUMNUS.

---

GEDANI,

TYPIS THOM. JOH. SCHREIBER, SENATUS ET ATHENÆ  
TYPOGRAPHI. V.





VIRIS

Per-Magnifico, Generoso, Maxime-  
que Strenuo Domino

DOMINO  
JO. GODOFREDO

A

Dieffeldorf,

Præ-Consuli inclytæ Civitatis Gedanensis, Montanorum Ad-  
ministratori ac p. t. Vice-Præsidi Gravissimo

Nec non

Magnifico, Generoso & Maxime Strenuo

DOMINO  
DN. ALBERTO

Rosenberg,

Consuli, Camerario, Protobibliothecario, Rerum belli-  
carum Commissario & Syndico

DOMI-

DOMINIS, PATRONIS

AC

Benefactoribus Gratosissimis ad Cineres  
usque nunquam satis Devenerandis

Colendis

A

Nec non

Dissertationem hanc cum voto  
flagrantissimo Salutis omni-  
genæ humillime consecra-  
tam offert

Tantium Nominum

Clientis ac Cultoris Devotissimus

RESPONDENS.





DE  
POLONORUM MAJORI-  
RIBUS.

§. I.



Polonos regionum quas incolunt, *Poloni ex Sarmatia.* non esse indigenas, sed aliunde advectos, asserunt quotquot primam Gentis aetatem describere, omnes. Est & inter plurimos consensio ex Sarmatia profectos, ad Vistulam confedisse, iis ne quidem diversis, qui eisdem cum Vandalis, Gothis aliisque permiscet & confundunt. Cum vero late patuit Sarmatia, & ab innumeris fere gentibus infessa, investigandum utique, ex qua illius parte Poloni olim egressi, quamque ex tot Nationibus matrem habuerint. Nam credere eosdem quasi ex se natos, nimis ambitiosum, & assignare iis velle omnem Sarmatiam, summam nec hac litterarum luce ferendam incertitiam arguit.

## §. II.

*In ostenda pri-  
ma Illorum  
patria, qvæ  
via ince-  
dendum.*

Et carere hoc labore possemus, si aliorum sententias tuto sequi liceret, neque hoc argumentum ab aliis omnino neglectum, ab aliis ita tractatum esset, ut vera falsis, fabulas Historiæ junctas, deprehendas, perlectisqve omnibus, incertior fere, quam antea, reddaris. Tentabimus si quid rectius a nobis adferri possit, illoqve utemur modo, ut primum Polonorum nomen, sed patrium, ceu Ducem aliquem sequamur; tum quæ vulgo de Polonorum origine traduntur in rem nostram vertamus; deniqve luculentum decimi Sæculi testimonium ad partes nostras vocemus, quo inde sententiæ robur accedat. At nemo his certitudinem aliquam Mathematicum speret, quam non exigent, nisi difficultatum quibus Gentium prima initia involvuntur plane ignari: sic tamen rem pertractare confidimus, ut a veritate non aliena, Historiarum fidem sustineat.

## §. III.

*Conatus  
aliorum, ex  
Polonorum  
nomine,  
Gentis ori-  
ginem de-  
ducentium*

Fatemur quidem, ante nos fuisse, qui Polonorum nomine, ad eruendam illorum originem usi. *Sarnicius* (\*) auctor est, „plerosqve Historico-  
rum putasse, Pola, celebri in Illyrico vel Istria ur-  
be, Polonorum Ducem Lechum prodiisse, nomen-  
qve suis dedisse, „. Quæ si rite se haberent, non  
qværenda esset prima Polonorum patria. Perplacuit tamen hæc nominis Poloni derivatio, acutissimo  
Viro, *Gundlingio*, ut tanquam suam, Istria tamen Po-  
la

(\*) Annal. Pol. L. I. c. 12.



la in Colchicam immutata proferret (†). Doctissimus *Hariknoch*, (\*) cum inter Polonos & *Ptolemæi* Bulanos, quos is inter minores Sarmatiæ gentes ad Vistulam locat, quandam vocis similitudinem notaret, ex diversis, unum Populum finxit, confutatus inde ab *Hanckio* (††) suaque profligatus, ut mihi quidem videtur, contradictione, cum *Lechum*, primum Polonorum Ducem, versus finem Sæculi VI. ac sic post *Ptolemæi* ætatem, Poloniam demum ingressum statuit (\*\*). Minus in Spalis quis Polonos nostros, si forte quæreret, inveniet, quæ tamen *Comringii* fuit conjectura, ac propterea laudati modo *Hanckii* (\*) virgulam non effugit. Qui Polonos *Lechi* posteros, cui præter novas sedes & imperium, nomen suum debeant, asserunt, non audiendi sunt, nisi monumentis fide dignis ostenderit, *Lechum* hunc aliquando extitisse. Nam si quod sentio fateri liceat, videtur mihi *Lechus* ille, quasi *Minerva* altera, ex cerebro, non *Jovis*, sed *Scriptoris* recentioris natus, ac credulitate sectatorum enutritus, ad illam magnitudinem pervenisse, qua hodie ostentari solet.

## §. IV.

Non tamen alienis immorabimur, satius erit, *Lazi in ver-* quæ ipsi meditati, depromere. Et statim obser- *teri Colchi-* vamus, minus bene agere, qui ex nomine, gentis o- *de.* *riginem*

A 2

riginem

(†) Vid. Diss. de Regno Moraviæ §. VII. in not. quæ habetur *Gundlingianorum* parte XI.

(\*) De Repub. Pol. L. I. c. 2. §. 1.

(††) De Reb. Siles. c. 1. §. 50.

(\*\*) l. c. §. 2.

(\*) l. c. §. 51.

riginem conjectantes, illo, uti latine proferri solet, utuntur. Scriptores enim extranei, qui ante domesticos, Gentis res, latino sermone memorarunt, eodem pariter, ejusdem nomen formarunt. Inde *Polenii*, *Polliani*, *Bolani*, *Polani*, *Poloni*, & regio, *Polenia*, *Polliana*, *Polonia* dicta. Sua lingua vocantur *Polacy*, quæ appellatio si servatur, poterit prisca illorum in veteri Sarmatia sedes monstrari, quæ alias perpetuo lateret. Inter Populos enim qui illam orbis partem incoluerunt, *Lazi* memorantur, quos omnium amplissime *Procopius* & *Agathias* ut sua ætate sese habebant descripserunt. Ex *Procopio* do-

*Varia de* *Lazorum* situm ad Pontum Euxinum, in *hac Gente.* „veteri Colchide (\*), eosdem Romanis quidem „paruisse, sed immunes a tributis, non alio documento obsequium testatos, nisi quod mortuo Rege, „pro novo, quem ipsi eligebant, insignia a Romano „Imperatore peterent. Regem eundem diligenter „sines custodivisse, ne e Caucaſo Hunni per *Lazi-* „cam terram, in provincias Romanas irrumpe- „rent „(†). Insignia illa Regia memorat *Agathias* (\*), „fuisse, coronam auream pretiosis distinctam la- „pidibus, pallam ad talos demissam auroque inter- „textam, calceos murice tinctos, mitram auro & „lapidibus variatam, chlamydem albam, circa cu- „jus medium aureum quoddam textum utrinque „resplenderet. Idem *Agathias* addit (\*\*), „ferocem „fuisse nationem, maximis aliis imperasse & veteri Col-

(\*) De Bello Gothico L. IV.

(†) De Bello Persico L. II.

(\*) L. III.

(\*\*) l. c.



» Colchorum appellatione gloriatam, se se supra tri-  
 » dum extulisse: interqve omnes quæ sub aliorum  
 » imperio fuerint constitutæ, nullam aliam ita cele-  
 » brem atqve felicem extitisse, tam opum excellen-  
 » tia quam multitudine subjectorum, locorum etiam  
 » opportunitate, abundantiaqve rerum necessaria-  
 » rum, & morum elegantia & dexteritate,,. Antea  
 Persis paruerat, Justinus vero tempore ad Roma-  
 nos transit, cum ipse Princeps Tzathus Byzantium  
 veniret, ac Christianorum sacris nomen daret, in-  
 deqve meritis ut a Cæsare Regio titulo ornaretur (\*).

## §. V.

Ab hoc Populo Polonos descendere, dictos *Ab illa Po-*  
 que sua lingua Polacy, quasi posteros & progeni- *lonos de-*  
 em Lazorum, a veritate non abhorret: imo vide- *scendere*  
 tur Lazorum in Lechi mutatum nomen, quo Du- *conjectura*  
 ce peregrinas adiisse regiones dicuntur Poloni.  
 Firmat conjecturam quod Lazorum non Lechi apud  
 veteres mentio, quem non omisissent, si fuisset, qua-  
 lis a recentioribus describitur. Accedit, Zechorum  
 exemplum, quos nomine suo viro cedere oportuit,  
 qui Lechi comes, aliam coloniam in Bohemiam  
 deduceret, novum ibidem Regnum excitaturus.

## §. VI.

Post nominum affinitatem, de lingua & mo- *Eosdem a*  
 ribus nonnulla addi possent, nisi & in his Lazos & Po- *Lazis mo-*  
 lonos convenire, exinde colligere liceret, quod *ribus &*  
 ambo originis Sarmaticæ. Si qui tamen hæc accu- *lingua*  
 ratur scire volunt, volvant *Procopium & Agathiam, seu haud di-*  
 qui in illis sparsim tradita, uno fasce complexus est *versos.*

(\*) Theophanes ad annum Justinus V,

*Pastorium* (\*). Diffidendum tamen non est, illo tempore, quod allegati Auctores describunt, Lazorum mores, ex consuetudine cum Romanis, aliq̄ quantum fuisse immutatos, quod ipse innuit *Agathias*, majoremque servasse simplicitatem, qui antea patriam suam egressi, quo diversitatis, si quæ in his, Lazos inter ac veteres Polonos deprehenditur, reddi potest ratio.

## §. VII.

*Fabula de Lecho, Zecho, Russo.*

Pervulgatum est commentum, Lechum & Zechum fuisse fratres, quibus ab aliis Russus additur, ab aliis omittitur, eosdemque una emigrasse. Commentum appello, quod gentis nomen iterum viro uni inditum. Zechi enim, integer erant populus, Lazis finitimus, ad Ponti Euxini maritimam oram, cui olim Reges Imperatores Romani dede- rant, sed qui Justiniani ætate jam omne obsequium exuerant (\*\*). Hanc tamen fabula nobis præstat utilitatem, ut inde Polonorum Majores cognoscantur, Zechos habuisse vicinos, quod apte in Lazos quadrat, alterumque argumentum suggerit, Polonos veros eorundem esse posteros. Quod si & tertius frater Rus admittendus, neque hoc turbabit rationes nostras. Russi enim Polonis in sede nova contermini, sermone moribusque non multum diversi, credebantur cum iis a communi stirpe descendere; quod erat priscae ætatis persuasio, sic oriri sic extendi gentes veluti familias. Quare in describendis populorum originibus non aliter agere consuevit,

*Mos veterum, in describendis gentium originibus,*

(\*) De Originibus Sarmaticis p. 63. f.

(\*\*) Procopius Hist. Got. L. IV.



svevit, ac si generis alicujus tabulam contexeret, *ad exem-*  
 ubi stirpis Auctor, Filii, Nepotes, Pronepotes indi- *plum fa-*  
 gitandi: quod certe, nisi liberalius fingendo, peragi *miliarum*  
 haud poterat. Unum sufficiat in præsens Germa- *agere.*  
 norum exemplum, de quibus Tacitus (\*) „illos ce-  
 „lebrasse carminibus Tuistonem Deum terra edi-  
 „stum, & filium Mannum originem gentis condi-  
 „toresque. Manno tres filios assignasse, e quorum  
 „nominibus Ingævones, Hermiones & Istævones:  
 „alios tamen licentia vetustatis plures Deo ortos ad-  
 „firmasse,„ Simili fere modo, initia gentis suæ,  
 Boguphalus, vetustissimus post Kadlubkonem Scri-  
 ptor, a Baskone Posnaniensi Custode continua-  
 tus primumque a *Generoso de Sommersberg* editus (\*\*),  
 describit. „Pan Principi Pannoniorum, *inquiens,*  
 „tres fuere filii, quorum primogenitus Lech, al-  
 „ter Rus, tertius Czech nomina habuerunt, & hi  
 „tres hæc tria regna Lechitarum, Ruthenorum &  
 „Czechorum, qui & Bohemi, ex se & sua gente  
 „multiplicati, possederunt (†),„

## §. VIII.

Sic ficta inter Zechum Lechumque fraternitas *Primi Polo-*  
 sententiæ nostræ favet, sed neque sedes, unde ii- *ni, unde*  
 dem, in Poloniam Bohemiamque venisse vulgo *egressi.*  
 perhibentur, repugnat: si eos excipias, qui ex  
 Croatia Dalmatiaque evocant, a *Cromero* jam con-  
 futati (\*\*). Citatus modo *Boguphalus* eodem loco,  
 testa-

(\*) De moribus Germanorum c. 2.

(\*\*) Tomo II. Scriptorum Rerum Silesiacarum.

(†) p. 19. allegati Tom. II. Script. Rep. Siles.

(\*\*\*) de Reb. Polon. L. I. c. 15.

testatur, legi in vetustissimis codicibus, „Pannoniam esse matrem & originem omnium Slavonicarum nationum „; quod ferri potest, si interpreteris, nationes Slavicas per Pannoniam se se in Germanium infudisse. Recte enim Cromerus primas illarum sedes in ulteriori Sarmatia collocat, ac peropportune locum *Antonii Sabellici*, Slavos a Cimmerico Bosphoro digressos testantis adducit (\*). Et optime monet Pastorius, (\*\*) circa paludem Mæotidem, Bosphorum Cimmericum, & Pontum Euxinum subsistendum. Ergo non nisi ex his locis Polonorum primi repetendi, neque felicius, quam ex Terra Lazica, ad Pontium Euxinum sita.

## §. IX.

*Quo tempore, quove modo.*

Inde Lazorum pars, Zechis juncta, forte & aliis Sarmatis permixta, non per Pontum Euxinum, sed terra, Tanai, Borysthene, Tyra, & Danubio superatis, in Pannoniam progressa. Non enim in illis oris tanta navium copia, ut ingens hominum multitudo, mare transmittere potuisset, estque *Ilustris* quondam *Leibnitii* observatio, (\*\*\*) „anti-„ quas migrationes non mari sed terra factas, seri-„ usque eo provecam navigandi artem ut classibus „iretur,„. Annum in quem illa emigratio incidet, constituere haud licet, multo minus spatium temporis, quod itineri insumtum. Hoc tantum asseri potest, profectionem Sæculum VI. præcessisse, cum

(\*) l. c. c. 14.

(\*\*) De Originibus Sarm. p. 86.

(\*\*\*) In Notis ad Taciti Germaniam, T. I. Script. Res. Brunsv. p. 8.



cum Lazorum Rex Tzathus, a. 522. Christianæ Religioni nomen dederit, de nostris vero Polonis constet, eos ab iis sacris alienos, egressos, iisdemque demum X. Sæculo, diu ab ipsis habitata Polonia, accessisse. Est & verisimile iter hoc non uno tractu, sed per intervalla, ut modo quiescerent modo pergerent peregrinantes, confectum.

## §. X.

Ex Pannonia, cum aliis Sarmatiæ populis, ulterius progressi, Zechi tandem ad Albim, ubi in Bohemia, Lazi ad Vartam, in hodierna Polonia majori, confederunt. Vacuæ tum per Vandalorum Burgundionumque migrationes terræ, sine armis, sine bello, occupari poterant. Vandali enim initio Sæculi V. in Galliam, (\*) post in Hispaniam moverant, deserta eodem fere tempore a Burgundionibus Bohemia. Equidem in *Eusebianis Chronicis* ad annum 374. legimus, Burgundionum octoginta ferme millia ad Rhenum descendisse: at *Ammianus Marcellinus* (\*\*), qui causam adventus memorat, simul refert terras suas repetiisse. Quare *Euseb. Chron.* ad annum 414. Burgundiones partem Galliæ Rheno propinquantem obtinuisse, perhibet: ut pateat eos demum V. Sæculo ex Bohemia migrasse.

## §. XI.

Constare jam poterit, quæ præferenda sententia, *ante annum*

B

(\*) Eusebii Chronica a. 407. Vandali & Alani Gallias trajecto Rheno pridie Kal. Jan. ingressi. Idem habet Casiodori Chronicon Arcadio VI. & Probo Consulibus.

(\*\*) L. XXVIII. c. 5.

tentia, aliis adventum sic dicti Lechi in Poloniam, ante annum 550, aliis eodem ipso 550 anno, aliis denique post eundem statuentibus. Singulos, eorumque sectatores enarrat Hankius (\*), mediamque ipse amplectitur. Nobis prima placet, ne post Vandalorum Burgundionumque abitum, per tantum temporis spatium, Bohemiam Poloniamque vacuas credere adigamur.

## §. XII.

*Confusa,*  
*post distin-*  
*cta Slavo-*  
*rum gene-*  
*ra.*

Novi advenæ, Lazi ac Zechi, cæteris ex Sarmatia, sic confundebantur, ut ne illorum quidem nomen audiretur, sed omnes promiscue Slavi dicerentur: quod vocabulum sæculo VI. cœpit invaluitque. Postea distinctæ a se Slavorum Nationes, singulis peculiari appellatione addita, ut in Historia ac Geographia mediæ ævi multa eorum genera occurrant: interque cætera Slavi Bohemi, Behemi, Behemanni, qui iidem qui Zechi. Lazorum, sed vocabulo aliquantum producto & aliter inflexo, primus mentionem facit *Witechindus Corbejensis*, sæculi X. Scriptor, Slavos Licitavikos nominando.

*Inter illos*  
*Slavi Lici-*  
*caviki.*

## XIII.

*De quibus*  
*locus Corbe-*  
*jensis Wite-*  
*chindi, ab*  
*aliis pa-*  
*rum intel-*  
*lectus.*

Pretium operæ est, locum integrum ponere eundemque illustrare. „Wigmannus, sunt verba Historici, longius degentes Barbaros crebris præliis contrivit. Miscam Regem, cujus potestatis erant Selavi qui dicuntur Licitaviki, duabus vicibus superavit, fratremque ipsius interfecit, prædama-

(\*) De Reb. Siles. c. 1. §. 33. f.



„magnam ab eo extorsit (\*),, Eundem descripsit *Annalista Saxo* primum ab *Eccardo* editus (\*\*), ad annum 965, nomen tantum Miscam in Misacam mutans, ab ipso *Witechindo* postea Misica prolatum. Neque ea verba, *Hartknochium* & *Hauckium*, imò nec ante ipsos *Cromerum* fugerunt. Et *Cromerus* quidem credidit (\*†\*), Misca hunc fuisse diversum a *Miecislao* Polono, unumque forte de *Popieli* posteris. At debuisset dignissimus Præsul scire, inter omnem Slavorum Nationem, nisi Poloni sint, *Licicavikos* haud dari, & *Popieli* numerosam progeniem, natales suos adversus examen paulo accuratius vix sustinere posse. Contra *Miscæ* seu *Miesconis* nomen Polonis perpetuo adeo fuisse proprium, ut præter illos in nulla Slavorum gente occurrat, sed esse argumenti instar, de Polonis sermonem esse, quoties idem legitur. *Hartknochius* *Licicavikos* *Licikavos* appellando, locat eosdem sed dubitanter in *Lusatia* (†), & sic eosdem ac *Lusicos* confundit, qui nunquam *Licikavi* appellati, & quos ipse *Witichindus* a suis *Licicavikis* sollicitè sejungit. *Licicavikorum* enim clade memorata, statim addit: „Eo quoque tempore *Gero* præses, *Sclavos*, „qui dicuntur *Lusiki*, potentissime vicit, & ad „ultimam servitutem coëgit,, *Hankius* hæsitat (\*)

B 2

tur-

(\*) Exstat *Witichindus* inter *Scriptores Rer. Germ.* a *Meibomio* editos locusque legitur T. I. p. 660.

(\*\*) T. I. *Corporis Historici* medii ævi.

(\*†) De *Reb. Pol.* L. III. p. 34. edit. *Col.*

(†) *Repub. Pol.* L. I. c. I.

(\*) De *Reb. Sil.* c. 6. §. 20. f.

turbatus potissimum insolito Licicavikorum cognomine.

§. XIV.

*Polonos esse ex situ Gentis Principis, qui præfuit nomine ostenditur.* Nos qui ex Terra Lazica Polonos deduximus, qui scimus Eisdem sua lingua Polacy vocari, minus hoc nomine, ab homine extraneo prolato, movere, conabimurque & aliis persuadere, Polonos intelligi. Referuntur autem Licicaviki inter Barbaros longius degentes, quæ sedes Polonis optime convenit, fuerunt enim, si Germaniam respicias, Slavorum versus Orientem fere ultimi. Sic eos locat *Helmoldus* (\*): „Ad littus Australe (maris Balthici) Slavorum incolunt nationes, quorum ab oriente primi sint Ruzi, deinde Poloni, habentes a Septentrione Pruzos, ab austro Bojemos, & eos qui dicuntur Morahi atque Sorabi,„. Et *Witichindus* noster, dum pagina citata, iterum *Wigmannum* Polonos bello aggressos tradit, eundem *ad Orientem versus, iterum se paganis immerfisse*, testatur. *Misca* illorum Rex, est Polonorum *Miesko* seu *Meska* ut appellant Polonorum vetustissimi, *Kadlubko* & *Boguphalus*, a recentioribus *Miecislavus* dictus, qui illius nominis primus, genti suæ eo tempore præfuit. A Scriptoribus Germanis varie hoc vocabulum effertur, ut *Misico*, *Miseco*, *Misica*, *Misaca*, *Misca* dicatur.

§. XV.

*Objectio ex Regio, qui tributus titulo,* Duo tamen ob stare videntur: *Miscam* Regem dici, ac ei fratrem, qui in acie periit, dari. Et scio *Miscæ* seu *Miecislao*, Regis titulum non venire, cum Poloniam Ducis aut Principis nomine

(\*) Chron. Slavorum Lib. I, c. I.



ne rexerit, neque tamen ignoro, Scriptores paulum antiquiores hoc discrimen parum observare, sed promiscue Reges dicere, qui populo præsunt, licet illo honore non gaudeant. *Boguphalus* semel iterumque citatus, Poloniam sub eodem *Miecislao*, Regnum, & patrem ipsius, Regem appellat (a). *Johannis* cujusdam vetus Chronicon (b) eundem Principem Regem nominat, ac iterum, *Mesiconem* I. Regem Poloniæ, Christianum obiisse testatur. Duobus his domesticis, totidem jungamus externos, *Helmoldum* & *Ademarum*, Monachum Engolismensem. Illi *Boleslaus* I. Christianissimus Polonorum Rex (c); huic idem *Boleslaus* Sclavaniæ Rex audit (d). Uterque de temporibus *Otonis* III. Cæsaris loquitur: & constat, *Boleslaum* demum sub *Conrado* Salico, Regium titulum sibi vindicasse (e). Neque omittendus *Witichindus* noster, qui allegata a nobis pagina, *Boleslaum*, Bohemiæ Ducem, Regem dicit.

B 3

§. XVI.

(a) p 24. Tom II. Scriptor. Rerum Siles.

(b) Primum illud occupat locum, inter *Generosi* de *Somersberg* Scriptor. Rer. Siles. & legitur locus T. I. p. 4.

(c) *Helmoldus* Chron. Slav. L. I. c. 15. Eodem tempore *Bolizlaus* Polonorum Christianissimus Rex, confœderatus cum *Ottone* tertio, omnem Slaviam, quæ est ultra *Oderam*, tributis subjecit.

(d) *Adamarus* apud *Labbeum* Bibl. MS. T. II. p. 168. Rex Sclavaniæ nomine *Boleclaus* quem ipse *S. Albertus* baptizaverat, datis magnis muneribus, caput & cadaver (*Adalberti*) excepit.

(e) Vid. Præsidis *Dissert.* de *Boleslao* I. quæ habetur Bibl. Pol. Part. II. p. 147.

## §. XVI.

*Athena ob-  
jectio quod  
eidem fra-  
ter tribui-  
tur.*

Facilius forte, ad Regium titulum responde-  
re, quam fratrem probare, cum si Patrios Scri-  
ptores audias, neque Miecislau talem, neque Ze-  
movitus Pater, præter Miecislau filium noverit.  
Nerum *Witichindi* confidimus testimonio, qui quod  
eadem qua Miecislau ætate vixit, domesticis non uno  
sæculo recentioribus, præferri meretur. Juvat *Dit-  
mari Mersburgensis* auctoritas, pariter Miecislai  
fratrem, ab illo tamen, quem Wigmannus inter-  
fecit, diversum, ac Cideburum vocatum, memoran-  
tis: qui minus ab eodem ignorari poterat, quod Pa-  
ter, Sigefridus Comes, virtutem ejus non sine gravi  
suorum clade, olim expertus fuerat (f). Quod ab  
Annalista Saxone, ad annum 972. repetitum legi-  
mus (g). Hæc si quis paulo accuratius expendet,  
simulque ad animum revocabit, Polonos Scripto-  
res, & post Miecislau, in recensenda Principum  
suorum progenie, errasse sæpius, minus nobis  
vitio vertet, quod vetustiorum consensum se-  
cuti, fratres Miecislao tribuimus, quorum unum a  
Wigmanno interfectum, cum *Witichindo* merito af-  
firma-

(f) Scriptor. Rerum Brunsv. T. I. p. 337. Udo vene-  
rabilis Marchio, Misenonem Imperatori fidelem, tribu-  
tumque usque Varta fluvium solventem, tribu-  
collecto. Ad cujus auxilium pater meus (Ditmari), Comes  
Sigefridus, tunc juvenis, nec dumque conjugali sociatus  
amori venit solum cum suis, & in die Sancti Johannis Ba-  
ptistæ adversus eum pugnantibus primoque vincentibus, a fra-  
tre ejusdem Cideburo, exceptis tantum Comitibus præ-  
fatis, omnes optimi milites interfecti, oppetierunt in  
loco qui vocatur Cidini.

(g) Tom. I. Scriptorygia mediæ ævi Eccardi p. 322.



firmamus. Nimia ergo *Hankii* (h) fuit facilitas, quem hic *Corbejensis* & *Polonorum* dissensus permovit, ut crederet, Miecislauum a Miecislao esse diversum.

## §. XVII.

Verbis aliquot interjectis, redit ad *Licavikorum* Principem *Witichindus* (i), & novos characteres ex quibus noscatur, adfert, Imperatoris *Uberior sententia probatio*, amicum, & *Boleslai* Regis *Bohemorum* generum, appellando. Utrumque *Miecislao* *Polono* convenit. Fuit is Imperatoris amicus, Eidemque fidelis (k), Cui & *Marchioni Udoni*, post atrox prælium *Cæsarem* inducias imposuisse, si ambo Ipsius gratia gaudere vellent, legimus (l). Inde *Miecislauus* adversus *Bohemiæ* Ducem, *Cæsaris* auxilio adjectus (m), & graviter queritur *Ditmarus* (n), filium *Boleslaurum*, diversum a Patre induisse animum, cum ille sua observantia, inclytus *Poleniorum* Dux appellari meruerit (o). Præter hanc, quam *Cæsari* præstitit amicitiam, affinitate *Boleslao* *Bohemorum* junctus erat, cujus filiam *Dambrovcam* duxisse, non

(h) De Reb. Siles. c. 6. p. 109.

(i) Pagina 660. supra allegata, ubi sequentia legimus: *Wigmannus* egit cum *Sclavis* qui dicuntur *Vuloini*, quomodo *Miscam* amicum Imperatoris laceraret, quod eum minime latuit, qui misit ad *Boluzlaurum* Regem *Bohemorum*, gener enim ipsius erat, accepitque ab eo equitum duas acies.

(k) *Ditmarus Leibnitii* p. 337.

(l) *Ditmarus* l. c.

(m) *Ditmarus* p. 349. 350.

(n) p. 367. oblita sui genitoris regula, inquires.

(o) *Ditmarus* p. 359.

non minus exteri quam patrii scriptores, uno fere ore testantur. Notandus tamen *Annalista Saxo* (p) quod perperam *Witichindum* legendo, non generum, sed ex genere Boleslai Miecislaum scripsit. *Cromerius*, qui perstat in sententia, Licicavikos non esse Polonos, duos Boleslaos, duas filias, duos generos eosdemque Miecislaos format (q) ac sic, indulgendo nimis ingenio, fidem potius negat Historiæ quam ut eandem rite interpretetur.

## §. XVIII.

*Polonos & recentiori atate Lachos dici.*

Satis vindicata credimus, Miecieslao Polono, quæ de Licicavikis illorumque Duce leguntur, ac insuper præstitisse nos, quæ in opusculi limine, facturos fidem dederamus. Poterunt jam videri Lazi Polonorum Majores, & Lazica terra, antiqva illorum patria. Addimus in fine *Cromeri* testimonium, Russos & Moschos, Gentem nostram, non Polonos neque Polacos, verum Lachos in illum usque diem vocasse (r). Refert quidem gravissimus Præsul nominationis causam ad Lechum suum; sed quid si in eadem Lazorum memoriam servari statueremus? saltem gentem allegamus, quæ revera extitit, quod num de Lecho asseri possit, nondum probarunt ii, qui fide recentiorum abrepti, solo assensu partes tuentur.

(p) p. 313. Tom. I. Scriptor. Eccardi. Misit (Misica) ad Bolizlaum Regem Boëmicorum, ex genere enim ipsius erat.

(q) De Reb. Pol. L. III. p. 34. edit. Col.

(r) L. I. p. 16.



















